

testantibus, in omnibus, quotquot tum fuere habita, Imperii Comitibus fuit consultatum, sed non nisi more Germanorum, qui semper conveniunt, & nunquam conveniunt. Et licet varios sufficientes ex Imperatoris intentione modos exequendi Maximilianus I. proponeret Statibus, (2.) semper tamen ex his potentiorum quidam resisterunt, quo minus in effectum illi traducerentur.

(1) *Vid.* hujus Capituli §. 7.

(2) Hunc præsertim exequendi modum pluribus in Comitibus commendaverat Imperator, ut quatuor in Imperio, (ad Rhenum scilicet inferiorem, ad Rhenum superiorem, ad Danubium, & ad Albim,) Marschalli constituerentur, qui singuli viginti quinque Equitum auxilio adjuvi Sententias & Mandata publica exsequerentur. *Vid.* latè Dn. JO. JOACHIMUM MULLER im Reichs-Tags-Staat. Libr. III. Cap. 4. §. 7. p. m. 447. Libr. I. Cap. 11. §. 11. p. m. 664. Eod. Libr. Cap. 12. §. 2. p. m. 668. &c.

§. 4.

Regulariter tamen decernendi Executionem Jus jam tum quoque perstitit penes Imperatorem. Ejus enim solius nomine in Comitibus promulgatos videmus Imperii Recessus, Ordinationes atque Conclusa (1.) Ejusdem solius nomine Judicium Imperiale Aulicum, Imperii Cameram atque Regimentum Imperii in Status tulisse Sententias, dubio caret (2.) Ejusdemque porro solius nomine Pacem Imperii publicam fuisse indictam ocularis inspectio nos edocet; (3.) Ejusdemque denique solius nomine, ut hæc omnia rite sanctèque servarentur atque Executioni mandarentur à Statibus, sub determinatâ quadam vel indeterminatâ poenâ fuisse præceptum, constat. (4.)

(1) *Vid.* omnes Recessus Ejus sub Regimine conditos in princ.

(2) *Vid.* e. g. *Ordinat. Regiment. Augustan. de Ann. 1500. Tit. Wie alle Sachen bey dem König. ubi: auch Brieff darüber / wo Noth seyn wird / unter unserm Königlichen Titel und Siegel auff Form und Maas wir / als Römischer König / zu thun haben / thun sollen und mögen*

C